



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punctum Difficultatis 2. Formantur Conclusiones ex Præmissis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

esse, non tantum mihi dicit, Petrum esse mortuum, sed etiam dicit mihi in actu signato, se dicere: quod dicat Petrum esse mortuum: in actu inquam signato, non exercito; quia non dicit exercite: dico me dicere, Petrum esse mortuum: & sicut unio, est ratio uniendi extrema, & simul uniendi seipsam, & similia, sic etiam dictio, non solum est ratio dicendi aliud, sed etiam ratio dicendi sibi ipsi. Tum quia Reflexens experietur, quando procedent quaesita, de enuntiatis his, ly *Id dixit*, ly *Id dictum est*: nunquam conquiescit intellectus, nisi in eodem, *id dixit: id dictum est*.

Quod si universaliter *id dixit*, est ultimum resolutorium sibi metipsi, etiam in praemissa: Id Deus dixit, illud ipsum Dixit, erit sibi ultimum resolutorium.

DICES. Si ego audiam Petrum loquentem, & nesciam illum esse Petrum, dicatque mihi Paulus, Petrus est, eo casu resolveretur meus assensus in dictionem Pauli. Ergo non in dictionem Petri. Ergo huius ly *id dixit*, potest esse aliud resolutorium, quam ipsum, *id dixit*.

RESPONDETUR. Duplicem eo casu intervenire assensum; Unus est: Petrum esse dicentem, & hic assensus resolvitur in Pauli testimonium. Alius assensus est: Quod hoc dictum sit; & hoc, non nisi in illam dictionem resolvitur.

Neque valet si dicas, *id dixit*, resolvi in se ipsum non nisi in dictione evidenti: quia quamvis ex tempore in dictione inevidenti resolvi non possit *id dixit*, in ipsum *id dixit*; resolveretur tamen in aliis circumstantiis motivorum credibilitatis. Deinde si negetur, quod in evidenti dictione resolvitur non possit *id dixit* in seipsum, non alius medius terminus usurpabitur, nisi quod non constet ex terminis ipsum *id dixit*; hoc autem nihil probat: quia potest aliquid esse ultimum resolutorium, quamvis non sit evidens ex terminis. Denique urgebit paritas una cum rationibus supradictis: potest resolvi assensus evidens in *id dixit*, evidens. Ergo & assensus inevidens, potest resolvi, in *id dixit* inevidens.

Punctum Difficultatis 2.

Formantur Conclusiones ex Praemissis.

DICENDUM est primo. Ut huic propositioni *Deus est veritas prima: huic item: Deus est, & aliis similibus assentiat fides, pro ultimo resolutorio habet: quia se dixit veritatem primam quia dixit se esse &c. &c.*

PROBATUR Primo. Suppono dictis propositionibus assentiri fidem, unde expresse dicit Apostolus: accedentem ad Deum oportet credere quia est. Christus etiam dicit de se: Ego sum via, veritas & vita: quibus omnibus, certe ut articulo fidei assentitur fides, hoc supposito. Formatur argumentum quando fides exhibet assensum huic objecto: Deus est veritas prima, in illo assensu debet habere sui specificativum; & di-

stinctum à reliquis assensibus, qui non sunt assensus fidei: hoc ipso enim vel non esset ille assensus fidei, non habens formalisativum fidei, & distinctivum ab aliis, vel omnes actus erunt actus fidei, ut in simili urgebatur, quia habentes idem specificativum cum assensu fidei: Sed nisi assentiat fides, Deum esse veritatem primam, qui dicit se esse veritatem primam, non habebit ille actus constitutivum sui, in ratione fidei: non enim veritatem intrinsecam, aut evidentiam terminorum ut ante dictum. Ergo non nisi aliquid extrinsecum; nempe: quia DEUS dixit. Et certe vel possum dicere, credo esse Deum veritatem, quia Christus dicit se esse veritatem; vel non possum dicere, si non possum: ergo non possum credere Evangelio, tanquam dictum seu Verbo Divino: si possum, ergo possum credere: Deum esse veritatem primam, quia dicit se esse veritatem.

PROBATUR Secundo. Quia si non possem assentiri, Deum esse veritatem primam, quia se dixit veritatem primam, vel ideo non possem, quia prius debeo assentiri veritatem primam se, quam assentiri quia dicit se esse: vel ideo, quia idem probaretur per idem, adeoque committeretur circulus vitiosus, vel quidpiam simile aliud, sed nihil horum obest, ut constabit ex solutione objectionum. Ergo. Et certe si possum, per multos ex oppositis, assentiri Deum dixisse, quia dicit, cur non possum assentiri Deum esse veracem, quia dixit se veracem esse.

PROBATUR Tercio. Tum quia in omni assensu propter rationem assentiendi, non solum assentior ipsi objecto, sed & ipsi rationi assentiendi; subiectoque rationis assentiendi. Ergo & quando assentior, quia aliquid dixit veritas prima, non solum assentior objecto, & ei quod dicit veritas prima, sed & quia veritas prima est, & dixit.

Antecedens probatur. Quando dico sole lucente papyrus illuminatam perstringere visum, quia album disgregat visum, eo casu, & subiecto, & rationi assentiendi, & huic, est album quod disgregat visum, assentior: & sic de reliquis. Quod ipsum in hoc resolvitur: quia aliàs semper esset ratio de subiecto non supponenti, si ipsi subiecto non assentior, in assentiationis; consequenter, & esset illa ratio assentiendi ut supponitur; & non esset ratio assentiendi, quia ex negato assensu ipsi subiecto, esset ratio potius neganda; consequenter quando assentior, quia veritas prima dicit, debeo assentiri idque per fidem, ipsimet veritati primae, sicut in aliis assensibus, ipso illo assensu, assentior, subiecto, quod dicit, ratio assentiendi: qui assensus non apparet qui extrahatur ad fidem; nisi propter ly *Deus dixit*.

Tum quia. Si in aliquo habitu recte colligetur, ex eo ipso esse subiecti, quia formale, in quod tendit ille habitus, est certificativum

etiam de subiecto, idque ex titulo, sibi competentis infallibilitatis; hoc ipso, etiam subiecto, posset præberi assensus ratione illius infallibilitatis. Item si aliunde constet de quopiam, quod non possit mentiri, si dicat se esse, bene potero illi credere, quod sit: quia dicit se esse. Ergo etiam rectè colligetur, ex eo Deum esse veritatem primam, quia se dicit veritatem primam, colligendo id per ipsam fidem; licet antecedenter, aliunde inducenda sit mens, quod Deus sit verax, de quo infra. Tum quia; qui tenent veritatem intrinsecam esse formalitativam fidei, tamen hoc, independentem à DEI Auctoritate, non admittunt. Ergo in fide Deum esse veritatem primam, independentem à Dei dictione, colligi non potest.

NOTO. Docuisse Haunoldum lib. 3. nos assentiri veritati Dei per actum fidei immediate, hoc est, non propter revelationem tanquam motivum, si enim veritati DEI non assentimur immediate. Ergo mediante revelatione, Atqui hæc sola non sufficit, sed debet ex parte motivi accedere veracitas. Ergo si veritatem Dei credo mediatè seu propter revelationem. Ergo etiam credo veritatem propter veritatem: Ergo propter veritatem immediate cognitam, & de hac iterum redibit Argumentum, dabiturque processus in infinitum. *Hæc doctrina*

NON SATISFACIT: quia impossibile est per actum fidei aliquid attingere, & non reperiri illic Rationem Objectivam fidei, quæ Ratio objectiva fidei, est Revelatio: quomodo ergo assentiri quis poterit veritati Dei, per Actum fidei, & tamen non propter revelationem. Deinde per nos assentiri propter Revelationem involvit formalissimè ipsum Ly: Deus dixit: immerito ergo supponit, quod Revelationi tum primum accedat veracitas Dei. Nec sequeretur processus in infinitum, quia assentior veritati Dei ex eo: quia Deus dixit se esse veracem, ipsi autem: Deus dixit assentior propter illudmet ipsum. Sed de hoc etiam infra, adeoque sine processu in infinitum. Et certè si interrogetur quare iste paries disgreget visum? Respondetur, quia est albus, si quærat quare sit albus? non erit necesse respondere per processum in infinitum, sed sistetur in illa albedine. Ita si quærat cur credas Deum esse veracem? Respondetur: quia dixit se esse veracem, ipsi autem Dixit, assentimur propter illudmet ipsum; cum hoc discrimine, quod responsio per ipsammet albedinem, sit responsio per aliquid in se evidens, responsio autem per Ly: Deus Dixit, est responsio per aliquid inevidens.

DICENDUM Secundo. *Ly: hoc Deus dixit pro resolutorio non habet aliud, nisi se ipsum.*

PROBATUR PRIMO. Quia illud aliud, quod haberet pro resolutorio, vel esset certius, vel æque certum, vel minus certum, Si certius:

Ergo implicat; quia quod DEUS dicit (ut dicit, quod dicit) est certissimum: nulla enim certitudo major, quam ea, quæ stat ipsa Divinitate. Non potest etiam esse æque certum, quia hoc deberet esse ipse Deus: si autem quocunque alio modo supponatur Deus dare certitudinem suis dictis, daret seipso dicente: non est enim major ratio, unius quam aliūs. Non posset etiam esse minus certum illud resolutorium, quia certum, in incertius non potest resolvi, quia nec per illud probari.

PROBATUR SECUNDO. Si Ly Deus dixit, non esset sibi resolutorium assentiendi, vel ideo non esset, quia non constaret an dixerit. Sed hoc non obest: quia saltem ubi aliunde collectum id fuerit, poterit adhuc præberi assensus propter ipsummet, *quia dixit*. Sicut in simili dictum de assensu principii: vel ideo non esset sibi resolutorium, quia esset inevidens, & hoc non obstat, ut dictum supra.

PROBATUR TERTIO. Ex iis quæ supra allata: quod Ly *Dixit*, universaliter sit sibi ultimum resolutorium.

DICENDUM est tertio. *Ultimum resolutorium fidei Divina prout importat determinationem, per quam aliquid transit, abesse potentia objectum fidei, adesse actu objectum fidei: est ipsum Ly Deus Dixit, seu veritas prima in dicendo, prout in actu secundo talis.*

PROBATUR PRIMO. Quia impossibile est transire à contradictorio ad contradictorium sine sufficienti mutatione, quæ in præsentem non potest alia ostendi, nisi veritas in dicendo, in actu secundo talis. Ergo.

PROBATUR SECUNDO. Quia etiam posito, quod Deus aliquid cognoscat, & quod sit veritas in dicendo, non hoc ipso est aliquid objectum fidei, ut ante dictum: quia aliàs quæ Deus non revelavit, imò nollit revelare, essent objectum fidei. Ergo apparet recurri debere ad veritatem in dicendo, tanquam ad ultimum resolutorium determinativum.

PROBATUR TERTIO & Suppono: quod omnis dictio, sit ablatio secreti in dicente: nam omnis dictio, est definitivè manifestatio mentis ad alterum, si manifestatio est, ablatio est non manifesti. Si ablatio non manifesti, ablatio secreti. Suppono deinde. Quod non possit dici: Credo hoc esse, quia hoc est secretum seu incognitum, seu quia non nosco. Ratio quia aliàs diceret, assentior, (quod est species ipsius nosco) quod implicat. Hoc supposito: Formatur Argumentum. Si ultimum resolutorium fidei, in quantum importat dictam manifestationem, esset aliud quam veritas in dicendo, in actu secundo talis, possemus credere, quia aliquid secretum, seu non manifestum, quia non dictum est. Sed non possumus credere, quia aliquid non dictum est, ut dictum in supposito. Ergo ultimum resolutorium determinativum &c. debet esse Deus dicens.

DICEN-

DICENDUM est Quartò. *Accipiendo ultimum resolutivum fidei Divina, prout fides est præcisè, & in quantum veritas prima in essendo, & cognoscendo transeunt in species objecti fidei, ultimum resolutivum erit veritas in dicendo.*

SUPPONIT Conclusio. Veritatem primam in Cognoscendo & essendo dupliciter spectari posse. PRIMò prout sunt partiales formalitates veritatis primæ, & constituunt rationem formalem *Quæ objecti fidei.* SECUNDò potest accipi veritas prima in essendo & cognoscendo, in quantum transeunt in species objecti fidei: hoc ergò secundo modo sumptæ veritates, resolvuntur ultimò in hoc principium; Quia Deus dixit.

PROBATUR PRIMò Conclusio: quia ut assentiamur quòd Deus sit veritas prima in essendo & noscendo; necessariò debemus habere aliquod motivum certum, vel certitudine intrinseca vel extrinseca: nam certitudo adæquatè dividitur in intrinsecam & extrinsecam: Sed veritates dictæ, in quantum transeunt in speciem objecti fidei; non possunt habere motivum certum, certitudine intrinseca. Ergò debet esse certum certitudine extrinseca seu testimonii. Minor est aliàs probata: & insuper ratio est: quia certitudo, quæ est in Visione Beatifica, est certitudo, orta ab aliquo increato, nempe ipso DEO sese clarè manifestante. Ergò & certitudo fidei, debet oriri ab aliquo increato, sed non potest oriri ab aliquo increato clarè sese manifestante. Ergò oriri debet ab Auctoritate Divina obscura, fides enim & visio, non certitudine, quia hæc utrobique summa, adeoque eadem; sed evidentia distinguuntur. Excluditur autem motivum certum certitudine intrinseca, excluditur inquam à fide, dictum illud Augusti. *Fidelis sum, nescio quod Credo.*

PROBATUR SECUNDò. Quia si quæratur ex fidei: Cur credat DEUM non posse falli in cognoscendo? respondere non potest aliud, nisi quia Deus dixit, nec ulterius procedetur in dando motivo. Ergo apparet, quòd etiam veritati in cognoscendo, in quantum illa transit in speciem objecti fidei, ratio assentiendi sit, eaque ultima, *Deus dixit.*

PROBATUR TERTIò. Quia si dictio DEI, non esset ultimum resolutivum sub dicta consideratione, ideo non esset, quia quærere restaret, quare DEUS verum dixerit. Sed hoc non obest: quia hæc interrogatio, jam non est de præciso assensu fidei, sed est interrogatio, de prædicamento veritatis. *Hinc*

DICENDUM est Quintò. *Accipiendo ultimum resolutivum fidei, pro ratione ultima in ordine & prædicamento veritatis, tale resolutivum est etiam univocum, scilicet veritas prima in essendo.*

PROBATUR ex dictis. Quia tale resolutivum, non potest esse veritas prima in dicendo: de hac enim in ratione veritatis, querri potest:

Unde constet quòd verè dixerit? non etiam veritas in cognoscendo: quia quærere restat, unde hoc habeat, quòd sit veritas prima in cognoscendo? ad quòd aliter responderi non potest, nisi quia est veritas prima in cognoscendo.

Notantur quadam.

NOTO PRIMò. Probare Suarium Deum esse veracem, debere credi per fidem, & non debere fundari in cognitione naturali Divinæ veracitatis, eò quòd fides cum sit supernaturalis certitudinis, nequeat habere fundamentum debilitatis, cui innitatur, & à quo pendeat: Nam juxta Arist. Propter quòd unumquodque tale & ipsum magis. Refutavit hoc Arriaga hic d. n. 55. Quia etiam repugnat credere Deum revelasse, nisi adsit propositio ab aliquo, & motiva credibilitatis, & tamen hic assensus est naturalis. *Hec refutatio*

NON CONVINCIT. Ratio: quia in casu assumpti ab Arriaga Antecedentis, restabit, adhuc quærere, unde sit desumenda infallibilitas fidei, & adhesio intellectus? redibiturque ad ipsum motivum fidei, sufficienter infallibilitativum fidei: Jam autem si non nisi assensu naturalis assentiret Deum veracem esse, non haberetur infallibilis illi assensus: si enim ipsi veritati Divinæ non assentiret infallibiliter, non potero assentiri infallibiliter ipsi objecto, propter eandem veracitatem; quia Propter quòd unumquodque tale, & ipsum magis.

NOTO SECUNDò. Prædicta ratione Suarii non esse contentum etiam Oviedo, quamvis teneat revelationem credi actu fidei, ad hoc ut obeat munus objecti formalis. Ponit ergò in primis. Si fides non est discursiva, quantum visponatur assensus revelationi non ita certus, ac actus fidei, non erit necesse per hoc fidem non esse certam: quia non erit necesse ut conclusio sequatur debiliorem partem, siquidem fides non est discursiva: non sequitur certissimam non esse fidem, quamvis assensus revelationi non sit certissimus. Ratio, quia prædicta regula non tenet in fide: quòd ipsum probat, quia, ea est certitudo objectiva, desumpta ex objecto formali fidei, ut ex vi ejus, repugnet falsitas actui fidei. Ponit deinde: Hoc objectum fidei, non esse propositionem revelationis, sed hæc propositio est extra objectum formale adæquatam fidei, quæ propositio, est inclusa in præmissis. Unde quamvis habeat majorem certitudinem, quam habeant præmissæ, non deficit illud Axioma. Propter quòd unumquodque. Nam in hoc casu, id est Propter quòd, non sunt Præmissæ formales, sed revelatio, & auctoritas Dei. Quòd ipsum in hoc resolvit: quia præmissæ in fide, non sumunt certitudinem, ex eodem capite, ex quo illam desumit actus fidei: quia in hoc Syllogismo. Quidquid Deus dixit est verum. Deus dicit se Trinum esse. Ergo Deus

R. P.
THE MLO
ZIANOWSK
Tbm de Z
D. VI

Deum esse Trinum est verum: objectum formale conclusionis, quæ est assensus fidei, est veritas DEI, quam Major proponit ut materiale objectum; & revelatio quam proponit Minor, est itidem ut materiale objectum, & hoc quod est materiale respectu Majoris & Minoris, est formale respectu Conclusionis: Objectum autem formale Majoris, esse poterit Deitas cognita à posteriori per effectus, ex qua inferitur veritas; Minor verò potest respicere testimonium humanum, quod non potest refundere certitudinem in conclusionem. Ex quo ulterius inferitur. Cum Conclusio supernaturalis elicitur, etiamsi antecedenter ad ipsam, ex vi præmissarum, certum non sit revelationem existere, sit revelationis existentia omnino certa, ex vi conclusionis, essentialiter per se ipsam connexæ, cum existentia revelationis, quæ est illius Formale objectum. *Ponit* denique certitudinem actus fidei, etsi hic sit conclusio ex præmissis probabilibus, longè esse maiorem, certitudine cuiusvis Demonstrationis: quia Conclusio ex natura sua, non exigit existentiam physicam formalem objecti, sed si per impossibile illud deficeret, eadem conclusio invariata posset subsistere; exigit autem assensus fidei existentiam sui formalis. Habentur hæc *Controv. 2. p. 7.* Ubi tandem n. 110. revelationem ut dixi, dicit credi actui fidei. *Hæc doctrina*

NON SATISFACIT. Tum quia de hoc ipso quæritur, quare prædicta regula non teneat in fide, cum non tantum in Conclusionibus quæ talibus, sed in omnibus causis formalibus teneat illud principium. Propter unumquodque tale &c. Tum quia: Concedimus quidem, quod quando est verè actus fidei Theologicæ, sit certus & infallibilis, si ad illum concurrat habitus infusus, vel ejus locum supplens auxilium. Sed quærere restat, quomodo sit certus & infallibilis: quomodo concurrant ad illum principia dicta? si ipsi existentia revelationis, non præbetur infallibilis assensus. Tum quia: Concedimus quidem objectum formale fidei non esse propositionem revelationis, quæ sit in præmissis, tamen ipsa revelatio includitur etiam in præmissis; cui si infallibilis non præstatur assensus, quomodo præstabitur infallibilis objecto? Et sicut si albedini non compereret esse disgregativam visus, nec compereret parieti: quia ratio disgregandi visus, est albedo; ita si non est assensus infallibilis revelationi, qui erit assensus infallibilis objecto propter revelationem, tantum rationem formalem. Tum quia etiam concessio, quod aliud sit objectum præmissarum, aliud formale conclusionis fidei, illi ipsi conclusioni, quæ est. *Quod verum, sit illud quod dicit Deus;* quærere restat, quid infallibiliter assentiamur, si ipsi, *quod dixerit,* non infallibiliter assentimur? Tum quia, Totum in quo se

fundat discursus Oviedo hoc solum habet, quod rei non revelata, fides assentiri non possit. Sed inde nihil deducitur ad hoc intertum, quod possit esse assensus Conclusioni seu assensus propter revelationem, quantumvis ipsi revelationi certò non assentiamur. Tum quia Syllogismus fidelis aliter formari debet, quam formet Oviedo. Ita ut veritas prima dicens ponatur pro formali in præmissis. Quanquam etiamsi pro materiali ponatur, non est in habere rationem formalem, respectu Conclusionis, quia assumitur pro ratione assentiendi Conclusioni, quod ipsum spectat ad formale. Tum quia: Concedo quod exigit actus fidei Theologicæ, existentiam sui formalem, sed quærere restat, quomodo actus caræ, qui exigit existentiam sui formalis, possit esse infallibilis, si ipsa existentia revelationis, propter quam alia creduntur, non habeat assensum infallibilem.

Noro Tertiò. Concedi quidem posse, quod antecedens fidem assensus, quod scilicet Deus sit verax, possit aliunde haberi, idque etiam à motivis naturalibus, & stare ipse assensus in ordine naturali: quia nulla est necessitas illum supernaturalis; nec est ratio, cur habitus Metaphysicæ seu Theologicæ naturalis, deservire ad hoc non possit. Et si per multos judicium prudentiale de motivis credibilitatis & eorum evidentia, potest stare intra ordinem naturæ; cur non poterit stare & assensus prædictus? Ceterum non est necesse, ut semper antecedit iste assensus, assensum fidei, licet antecedit ordinariè: antecedit inquam ordinariè, quia rarum est, miraculosè aliquem vocari ad assensum, quod DEUS sit, sed ex Creaturis & Visibilibus, paramus nobis notitiam invisibilium; absolute tamen non est necesse, sicut dixi, ut iste assensus naturalis, præcedat re, assensum fidei: quia non implicat, ut primus actus creaturæ rationalis, sit, quo credat, DEUM esse, propter DEI testimonium. Nihilominus posito, quod præcesserit assensus naturalis, de DEI veracitate, sequi debebit alius, qui assentiatur eidem Divine veracitati, propter ipsummet, Deus dixit, idque ob rationes supra in probatione Conclusionis allatas.

Punctum Difficultatis 3.

Fundamenta in Oppositum.

OBJICIT Primò Lugo. Posita hac doctrina, manere adhuc rationem dubitandi suprapositam in suo robore, siquidem Credere te dicis Trinitatem, quia DEUS dixit: rogo an scias evidenter id DEUM dixisse? an verò ex fide, non quidem evidenter ut pater. Ergò solum ex fide. Ergò assensus ille, nititur alteri jam revelationi; cum enim ex terminis non con-

(c)

fiter